



Wern 3486

(1-12)

543

DISSERTATIO 5  
IN AVGVRALIS MEDICA  
CARDIALGIAE  
NATVRAM

AC  
MEDELAM

SISTENS.

---

QVAM  
ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS  
CONSENSV ET AVCTORITATE  
IN REGIA FRIDERICIANA

PRO  
SVMMIS IN MEDICINA HONORIBVS  
RITE OBTINENDIS

PVBLCICE DEFENDET

DIE SEPTEMBR. A. MDCCXC.

AVCTOR  
CHRISTIANVS HENRICVS THEOPHILVS  
CLASS,

BOLESLAVIA - SILESIVS.

---

HALAE,  
TYPIS VIDVAE CVRTIL.



DISSERTATIO  
IN ACADEMIA MEDICA  
CARDIACAE  
NATVRAE

M. D. C. C. L. A. M.

1792

ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS  
CONSILII ET ACADEMIAE  
IN REGIA FRIDERICIANA

SYMMS IN MEDICINA HONORARIVS

ALII ORDINIS

AVGVSTISSIMO

DIE 20 SEPTEMBRIS A. MDCCXC.

CHRISTIANVS HENRICHVS THEOPHILVS

CLASS.

HABITVS  
S. M. D. C. C. L. A. M.



V I R O  
ILLVSTRI ATQVE EXPERIENTISSIMO  
D O M I N O  
IOANNI GODOFREDO  
C L A S S ,

MEDICINAE DOCT. PRACT. DECANO COL-  
LEGII MEDICI ET SANITATIS CIRCVLI  
GLOGAVIENSIS ETC.

AVVNCVLO SVO DILECTISSIMO,

NEQ NON

DOMINO DIRECTORI,  
CONSVLIBVS ET SENATORIBVS  
MAGISTRATVS  
AMPLISSIMAE CIVITATIS BOLESLAVIENSIS  
PATRONIS SVIS GRATIOSIS  
ET  
FAVTOBIBVS BENEVOLIS  
HASCE  
STVDIORVM ACADEMICORVM  
PRIMITIAS  
IN  
PERPETVVM GRATI ANIMI PIGNVS  
CONSECRAT  
TANTORVM NOMINVM CVLTOB  
OBSEQVENTISSIMVS  
A V C T O R.

# SECTIO I.

## DESCRIPTIO.

§. 1. **I**nter illos diuturnos ac dolorificos morbos, qui homines vexare, inutilesque ad negotia reddere possunt; quin immo cum vitae periculo coniuncti, artem medici contemnunt, *cardialgia* etiam iure meritoque referenda esse videtur. Hocce verbum a verbis graecis *καρδία* et *αλγός* id est, *ἄλγος τῆς καρδίας* seu *dolor cordis vel cardiae ventriculi*; germanice *Magenschmerz*, *Magenkrampf* derivatur.

§. 2. Inique germanice vocatur *Herzensangst*, quoniam cordis dolorem esse putabant; attamen certum est, nomen *cardiae* et *cordi* et *sinistro ori ventriculi* inditum esse. \*) Cum fere nullae hucusque observationes sensus dolorifici cordis adsint, ex eo facile patebit nomen *cardialgia* dolori *sinistri oris ventriculi* potius imponendum esse, quod scripta etiam Hippocratis, Galeni aliorumque veterum per spicue affirmant. \*\*)

§. 3. Plures nunc institutae observationes ostendunt; nomen *cardialgia* magis esse extendendum, neque dolorem, *sinistro ori ventriculi* solum, sed *toti eius substantiae* inhaerere posse. In *Cardialgiae flatulentae* minori gradu enim pylorus praecipue

\*) Felic. Plateri Praxis medica, Tom. II, Cap. II, p. 377.

\*\*) Oeconomia Hippocratis, fol. 186. sq.

cipue afficitur, in maiori atque in ea quae a faburra vel cruditatibus oritur integer ventriculus interdum dolet. Maxime vero circa scrobiculum cordis sic dictum, cui cardia occurrit, dolor sentiri solet. \*) Cardialgia est igitur vehemens, constringens, aut comprimens stomachi dolor, qui syncopen haud raro minatur, a materia ibi, vel alio in loco stagnante et per consensum excitatus.

## SECTION II.

### DIVISIO.

§. 4. Hicce morbus dividitur,

A.) Respectu sensus diversi doloris,

- 1.) In *pyrosin* seu ardorem ventriculi, germanice *Sodbrennen*, qui molestus est sensus ardoris ac fervoris in regione oris superioris ventriculi. \*\*)
- 2.) In *cardialgiam* strictè sic dictam, quae est ventriculi dolor, syncopen minitans; quin immo cum levi syncope coniunctus. \*\*\*)
- 3.) In *gastrodiniam* quae ab antecedente eo distinguitur, ut cor haud simul in consensum trahatur, nec continuum syncopes periculum adsit, nec unquam in hac specie febris

\*) Max. Stoll, praelect. in divers. morbos chronicos, Vol. III. p. 135

\*\*) Cullens Anfangsgründe der practischen Arzneiwissenschaft, 3. B. p. 212.

\*\*\*) Pathologia methodica seu de cognoscendis morbis, auct. Fr. Boissier de Sauvages, Lugd. 1759. p. 327. Cl. 7. Ord. 2.



bris inflammatoria se prodat. \*) Sic quoque ab aliis inique Cardiogmus (*καρδιογμός*) huc numeratur, quem Plinius mordentem ventriculi sensum esse inique putabat. \*\*) Sauvages potius ad morbos pectoris eum refert eoque sensum ponderis in praecordiis significat, quem dilatationi cordis vicinorumque vasorum auctae attribuit.

§. 5. B.) Quod ad sedem causae morbificae cardialgiam producentis attinet, denuo divisa est:

- 1.) In *idiopathicam* quae est morbus primarius, cuius causa in ventriculo ipso sita, omniaque phaenomena, huius morbi symptomata sunt. A materia enim ibi stagnante vel distentione vel constrictione producitur; exempli causa cardialgia ab ulceribus ventriculi, scirrhis, acrimoniis ibi depositis, post venena assumta, emetica fortiora, purgantia drastica etc.
- 2.) *Symptomaticam* seu *consensualem*, ubi est morbus secundarius e primario ortus, cuius causa non in ventriculo ipso, sed in aliis corporis partibus sita est, qua ventriculus in consensum trahitur, exempli causa, cardialgia nephritica, hysterica, a tumoribus vicinarum partium orta etc. \*\*\*)

§. 6.

\*) Pathologia methodica seu de cognoscendis morbis auct. Fr. Boissier de Sauvages, Lugd. 1759. p. 327. Cl. 7. Ord. 2.  
 \*\*) Natural. histor. L. 20. C. 14.  
 \*\*\*) Haec divisio, licet nonnullis pathologis haud placeat, multum tamen tam ad cognoscendum quam curandum morbum confert. Si enim cardialgia symptoma est eius causa perferuari debet qua enim sublata et symptoma fugit.



§. 6. C.) Cum ventriculus in cardialgia, aut nimis distendi aut in minus spatium per spasticam constrictionem coarctari possit, plurimi pathologi, inter quos praecipue Friedr. Hoffmann, eam in flatulentam et spasmodicam diviserunt. In priori casu flatus incarcerationati, in posteriori vero acrimoniae ibi haerentes hanc mutationem producant.

§. 7. D.) Decursus cardialgiae est vel brevis vel longus; prior *acuta* appellari meretur, in qua subito aut *vita* finitur aut sanitas restituitur: cardialgia in gastritide, exempli causa, quae gangraena orta, mortem subitanam producit. Posterior autem, ubi longius durat minusve periculosa est, *chronica* vocatur. Si dolor continuus *remittens*, quae nullum intervallum sed dolorum tantum diminutionem habet, *intermittens* seu *periodica* autem dicitur ubi certis temporibus dolor plane desinit.

§. 8. E.) Cardialgia adhuc dividi potest, respectu causarum eam producentium, quarum numerus autem tantus est, ut partim memoria vix capi nequeant, partim in praxi haud frequenter inveniuntur; attamen ut maxime consuetas inducam, operam dabo. i.) Ad cardialgias, idiopathice ventriculum afficientes, teste Cullenio pertinent a.) Cardialgia bradypepta \*) a digestionem tardiori debilitateque ventriculi b.) Cardialgia faburra, \*\*) ab impuritatibus primarum viarum. c.) Cardialgia lactantium \*\*\*) , germanice *Herzgeßpann*. d.) Cardial-

\*) Cullen Nosologia methodica. — Sauvages Sp. 9.

\*\*) Id. — 3.

\*\*\*) Sauvages Sp. 11.

dialgia flatulenta, \*) a flatibus orta. e.) Cardialgia paralytica a paralyfi ventriculi, in qua ventriculus valde expansus est. — 2.) Inter illas, quae \*\*) symptomatice ventriculum afficiunt, referendae sunt secundum Cullenium, a.) Cardialgia scirrhusa \*\*\*) a scirrhuso ventriculi orta. b.) Cardialgia a veneno, \*\*\*\*) venena enim aliaeque res ventriculum vehementer irritantes eam producant. c.) Cardialgia verminosa \*\*\*\*\*) a vermibus ventriculum inhabitantibus orta. d.) Cardialgia sputatoria, †) dolor ventriculi cum humore aquoso exspuendo. e.) Cardialgia inflammatoria, ††) ab inflammatione ventriculi ut in gastritide, orta. — 3.) A morbis aliarum partium vel totius corporis sequentes existant species. a.) Cardialgia arthritica. †††) b.) Cardialgia a cardiogmo, a dilatatione cordis. ††††) c.) Cardialgia febricosa. †††††)

## SECTIO III.

### DECURSUS MORBI.

§. 9. Qui hoc laborant malo, quodam tristi doloris sensu afficiuntur, in illa infimi ventris sive ab-

\*) Sauvages Sp. 3.

\*\*) Id. Sp. 7. Lieurand Memoires de l'acad. des sciences 1756.

\*\*\*) Sauv. Sp. 6.

\*\*\*\*) Id. Sp. 2.

\*\*\*\*\*) Id. Sp. 18.

†) Id. Sp. 10.

††) Id. Sp. 13.

†††) Id. Sp. 8.

††††) Id. Sp. 12. Bonnet Sepulchretum T. 2. p. 80. 45.

†††††) Sauv. Sp. 4.

abdominis regione, quae medium inter hypochondria tenet, sub cartilagine mucronata. Isque dolor, vel sub scrobiculo cordis perferitur vel magis ad dorsum inclinatur, aut ad hypochondrium, vergit sinistrum; interdum vero totam regionem hypochondriacam sic dictam, qua ventriculus continetur, occupat, nec raro partes vicinas in consensum trahit et quondam tumorem quandam in epigastrio coniunctum habet; interdum vero etiam sine eo affligit. Decursus huius morbi dolorifici saepeque periculosi, diversus est. Nunc enim diu durat, nunc brevi tempore disparet. Modo vehemens dolor, modo levis; vel obtusus ac premens vel pungens et ardens. Modo interius tantum percipitur, modo ad tactum levissimum augetur; vel fixus vel vagus, saepe etiam paroxysmi certo tempore redeunt; modo est continuus, modo intervalla tenet. Nunc febris adest, nunc deficit.

§. 10. In hoc morbo magna oppressio pectoris adest; quasi constrictum esse videtur, dyspnoea, tanta saepe, ut suffocationem minuetur, defectus quietis; aegri enim saepe nesciunt, quo se convertant, anxietatem satis exprimere aegrotantes nesciunt. Nausea, vomituritiones, vomitus, appetitus depravatus, hypochondria tensa ac dolorifica, inflatio ventriculi, ructus et flatus existunt. Dolor praecipue in scrobiculo cordis, dolores colici abdominis, simul etiam dolores capitis. Interdum etiam obscuratio oculorum, vertigo, palpitationes cordis, tremor artuum ac convulsiones oriuntur. Extremitates plerumque frigidae, sudor gelidus, abdomen obstipatum, alvus laxa contra interdum adest. Urina aquosa. Quo in rerum statu pulsus quaedam anomaliae subinde in corde ac arteriis fiunt, pulsus est parvus, debilis ac inaequalis saepe  
in-

intermittit, ac difficile sentitur, vires valde oblauguent, totumque corpus ita fatiscit, ut muscoli haud agant, vultus palleat, sudores frequentes, tandemque animi deliquia existant.

§. 11. Ab his symptomatibus narratis alia etiam originem ducunt, exempli gratia haemorrhagia narium, apoplexia etc. Ventriculus non solum sed muscoli abdominales quoque spasmodice, se contrahunt; interdum etiam dolor dorsi ibi sentitur, ubi pars diaphragmatis lumbaris adhaeret.\*)

## SECTIO IV.

§. 12. *Causae cardialgiae sunt sequentes.*

1.) *Cruditates primarum viarum* cuiuscunque generis, exempli causa; acida acrimonia, mucus ac bilis etc. quae vel ex cibis efferuescentibus, vel eorum residuis vel quantitate vel qualitate peccantibus\*\*) originem ducunt, de quibus clarissimus Baldinger duo exempla notatu dignissima narrat. Porro vermes in ventriculo haerentes eiusque calculi e concretis ciborum mucique exorti.

2.) *Nimia laxitas fibrarum ventriculi et flatus.* Digestio est laesa, omnia esa subito ventriculum inquinant, putrescentia rancidaque fiunt: unde dolores, anxietates, spasmi, nausea, vomitusque originem ducunt. Frequenter sumtis cibis, potibusque efferuescentibus, exempli

\*) Selle Medicina clinica p. 458.

\*\*) Baldinger's neues Magazin für Aerzte B. 4. Stück 6. Hist. 14. p. 510.

pli causa fructibus horaeis, musto, uvis etc. flatus oriuntur, quibus, pyloro spasmodice clauso, ventriculus expanditur, indeque sensus ponderis ac tumor ovi gallinacei instar in regione ventriculi, ructusque frequentes nascuntur.

- 3.) *Venena corrosiva* exempli causa, arsenicum, mercurius sublimatus corrosivus, aqua fortis, aerugo. Porro deglutita corpora, acus, fragmenta vitri, sic quoque emetica et purgantia drastica, (lacertae, scarabaei, araneae) hirudines aliaque deglutita magno irritamento ac arrosione parietum ventriculi gravissimas cardialgias inflammationesque produciunt.
- 4.) *Metastasis cuiusdam materiae morbificae*. Varia exanthemata enim, ut variolae, morbilli, scarlatina, miliaria, erysipelas, scabies ac herpes, si male tractentur, vitiaque diaetetica committantur, facile repelli possunt; quo facto, ventriculum petunt, gravesque cardialgias produciunt. Imprimis materia rheumatica et arthritica facile ventriculum occupant. Sic quoque dysenteria intempestive ac improvide suppressa. Porro ab intempestive sanatis exsiccatisque ulceribus. „Binis exemplis nobis constat dicit praeclarissimus Fr. Hoffmannus \*) parotidum tumores etiam in sexu muliebri, non adeo exiguos, externis quidem applicatis, evanuisse sed brevi post cardialgiam cum angustia spirandi insecutam fuisse. Observatum quoque a nobis est hemicraniam et cardialgiam inter se alternasse, ita ut cardialgia

\*) Fr. Hoffm. Medic. system. T. 4. Pars 2. Sect. 2. Cap. 2. P. 231.

gia sublata, hemicrania fuerit secuta et postea hac ipsa discussa, cardialgia redierit,,

5.) *Status plethoricus vasorum ventriculi*, qui ab haemorrhoidibus, menstruis lochiisve suppressis oritur. In graviditate etiam ubi menstrua remanent, licet foetus totius sanguinis quantitate ad nutritionem haud indigeat, plethora vasorum vteri nascitur vasaque viscerum vicinorum ac ventriculi implentur, unde hic sensus molestus. Uno verbo a suppressione cuiuscunque excretionis sanguinis consuetae hic morbus oriri potest.

6.) *Inflammatio ventriculi seu gastritis*. Omnia enim, quae parietes ventriculi valde irritant seu arrodunt, eum quoque inflammatum reddere possunt, exempli causa potus frigidus, aestuante corpore assumtus, violentia externa in regione ventriculi adhibita, \*) acria deglutita, acrimoniae cuiuscunque generis ibi depositae. Viscera vicina iam inflammata, ventriculum interdum quoque afficiunt. E doloribus fixis in regione ventriculi, febre concomitante, vomitu crebro, interdum singultu etiam ipsoque dolorifico, pulsu debili, summoque virium defectu hic morbus dignoscitur.

7.) *Irritabilitas fibrarum ventriculi praeternaturalis*, ubi stimulum levem in ventriculo sano nullas mutationes producentem, summi motus, functiones ventriculi laedentes sequuntur. Quae irritabilitas praeternaturalis vel ob teneram a natura acceptam corporis structuram haereditaria ac congenita, vel acquisita esse potest,

\*) Cullen's Anfangsgründe der practischen Arzneiwissenschaft Tom. I. pag. 431.

potest, ab alimentis nocuis, nimis excretionibus cuiuscunque generis, pathematibus occultis, morbis chronicis praegressis, partu difficili etc. — Hypochondriacis ac hystericis ista dispositio, praecipue familiaris est. Omnes huius irritabilitatis effectus, nil nisi motus tremuli tensionesque solidorum, spasmi ac convulsiones sunt, e quibus dolores, inquietas, obstructions, impletiones, inflammationes etc. derivari possunt \*).

8.) *Animi pathemata ac consensus nervorum.* Priora omnes vires, functionesque corporis, confundunt ac fundamentum totius oeconomiae animalis concutiunt; unde patet, digestionem etiam compati indeque appetitum depravatum, spasmos doloresque ventriculi originem ducere, qui ab ira et indignatione imprimis producantur. Sic quoque ob consensum nervorum ventriculi cum aliis partibus dolores ipsius originem ducunt; licet ventriculus ipse haud afficiatur exempli causa in calculis renalibus, laesionibus capitis etc.

9.) *Compressio ventriculi* a vitiosis visceribus vicinis, quae vel magnitudine naturalia superant, vel tumores scirrhosos habent. Diagnosin, cui parti vitium, insit, difficillima est, nec certe affirmare possumus, utrum in ventriculo ipso vitium haereat an laesa eius functio, vitii vicinarum corporis partium effectus sit. In eo, ait clarissimus de Haen \*\*): causa erroris multorum

\*) Gaubius Anfangsgründe der medizinischen Krankheitslehre, übersetzt von Gruner. Berlin, 1784. S. 195. p. 65.

\*\*\*) Anton de Haen Heilungs-Methode, ins Deutsche übersetzt von Platner, B. 3. Th. 6. Cap. 2. p. 24.



torum medicorum sita est. Porro ventriculus etiam a cartilagine xiphoidea introversa, a costis fractis ac incurvatis etc. comprimari potest.

10.) *Vitium ventriculi ipsius organicum* a praeternaturali dilatatione vel angustia ventriculi, ab ulceribus, scirrhis ac tumoribus eius, a coarctatione cartilaginosa pylori etc.

§. 13. *Causa proxima* est, spasmus oris finistri ventriculi seu cardiae et diaphragmatis. Interdum quoque musculi abdominales ipsi spasmodice se contrahunt.

## SECTIO V.

### PROGNOSIS.

§. 14. De prognosi notandum est, cardialgiam pro varietate doloris et causarum ac coniunctorum symptomatum magis vel minus periculosam esse: attamen cardialgia plerumque ad classem illorum morborum, referenda est, qui, nisi nimis longedurent, haud facile necant. Cum vero experientia doceat, inflammationem illi facile adiungi posse, haud plane est sine periculo; sic quoque cardialgia cum acutis malignisque febribus coniuncta. Iam Hippocrates ait: \*) In febribus circa ventriculum fortis aestus et cordis morsus seu dolor malum est.

§. 15. Cardialgiae ab induratione scirrhusa ac ulceribus carcinomatosis ventriculi ortae haud lae-

\*) Hippocr. Aphorismi Sect. 4. Aphor. 65.

laeta est prognosis, eadem in calculis renalibus, ubi cardialgia est symptoma, huius exempla notatu digna Riedlin narrat. \*) Si dolores vehementiores sunt, icterus symptomaticus sine symptomatum levamine saepe oritur. Tabes per saepe est cardialgiae effectus; pervigilio, nausea ac vomitu enim corpus ac digestio debilitantur legitimaque eius nutritio turbatur. Dolores vehementes ventriculi haud raro inflammationes eius produciunt.

§. 16. Paroxysmus semper cum frigore in dorso ac horripilatione cutis intrat; pulsus est parvus ac durus. Simulac mollior fit calorque redit, hoc subitaneum mali abitum indicat. Crisis vario modo perficitur; imprimis vero vomitu spontaneo. Egomet ipse foeminam vidi, ubi unico vomitu, omnia symptomata desinebant. Porro per urinam, cuius exempla per saepe invenimus. In podagricis saepe critica gonorrhoea sequitur, qua materia podagrica, domicilio antecedente relicto, evacuatur. Tale exemplum Doctor Clarck enarrat. \*\*)

§. 17. Haemorrhagiae in cardialgiis a suppressis sanguinis excretionibus consuetis plerumque criticae sunt. Sic enim vehementissima cardialgia vomitu cruento subito removebatur. \*\*\*) Sic scabies, rheumatismus, arthritis, herpes saepe remouent cardialgias ab his suppressis materiis ortas. Corpora aliena in ventriculum introducta, acus exempli caussa per abscessus interdum evacuatatae sunt.

\*) Lin. Med. Ann. 3. Ian. 16. Jun. p. 36. sq.

\*\*\*) Neue Versuche und Bemerkungen aus der Arzneif. einer Gesellschaft in Edinburg, 3. B. N. 19. p. 413. u. f.

\*\*\*\*) Dissert. de morborum salubritate, §. 13. p. 23. (Resp. I. D. Engel, 4. Halae 1723.)

sunt. Icterus in decremento morbi est laeti omnis. Febrem denique cardialgias ab eius intempestiva suppressione ortas per saepe sustulisse, Fr. Hoffmann affirmat. \*)

## SECTION VI.

### METHODVS MEDENDI GENERALIS CARDIALGIAE.

§. 18. In paroxysmo ipso *officium* medici est, ut quantum fieri possit, dolores leniat spasmosque tollat, per emollientia et antispasmodica. Unguentum altheae cum laudano liquido Sydenhami scrobiculo cordis inunctum ac vesicatorium camphoratum bene adhibenda sunt. Interne opium. De Meza \*\*) oleum amygdalarum dulcium vehementer laudat. Transpiratio est promovenda pedesque plerumque frigidi leniter fricandi sunt. Extra paroxysmum causa doloris removenda seu saltem debilitanda, impressio nervorum remanens tollenda ac tonus ventriculi restituendus est. Quam diversae igitur sunt causae, tam diversae etiam methodi medendi, quas in contemplatione specialiori magis enucleabo. Dolor vehemens, dispositio haemorrhoidalis, affectus rheumaticus, passio hysterica, suppressio excretionis sanguinis consuetae, indeque nata plethora plerumque venaesectiones postulant. Bilis vero ex sapore oris amaro habituque aegri bilioso dignoscenda, cibi haud digerendi emeticum, venena vero antidota postulant. Minus necessarium

B

est

\*) Dissert. de imprudentia medica multorum morborum et mortis causa, §. 51.

\*\*) Salom. Theoph. de Meza Compendium practico-medicum. Fol. I. Fasc. 2. p. 102. §. 238.



est emeticum in vomitu spontaneo, ubi iam largiter evacuatum est. Acidum primarum viarum alcalina et absorbentia, lenia eccoprotica; vermes contra alia remedia sibi propria postulant.

§. 19. Caussis iam sublatis, symptomata spasmodica, ob debilitatem irribilitatemque ventriculi remanentia, tollenda sunt per antispasmodica interna et externa ut aqua menthae, oleum caieput \*) liquor anodynus mineralis Hoffmanni, moschus, laud. liquid. S. Nuperrime etiam clarissimus Odier et Carminati magisterium Bismuthi commendarunt, quo ipse semel cum successu usus sum, in casu quodam, ubi materia nocua iam sublata, spasmi adhuc remanebant; attamen flores Zinci eundem edere effectum, puto. Remedia denique ad tonum ventriculi restituendum varii sunt generis, vel amara vel adstringentia et martialia, quae invicem coniuncta melius agunt, unde magna vis corticis peruviani, vires enim et amaras et adstringentes possidet. Martialibus magna dosi ad solida roboranda uti possumus. Werlhofius martialium virtutem usque ad coelum attollit. Cum exercitia corporis in totum corpus agant, iis quoque fibrae ventriculi roborantur; laboriosi itaque homines raro ab eiusmodi morbis afficiuntur. Nisi aegroti nimis debiles sint, summo cum effectu aëri exponuntur; principem vero locum tenet equitatio, nisi mox post assumptum cibum fiat. Aër frigidus et aqua frigida totum corpus etiam roborant, appetitum digestionemque augent; attamen iis aegrotus successive tantum se assuescere debet; alias enim symptomata augentur.

§. 20.

\*) Cullen, T. 3. P. 238.

§. 20. In chronicis inveteratisque cardialgiis ob tantam pertinaciam plerumque vitium organicum ventriculi fuspiciandum est; saepe autem acida acrimonia tam indomita adeste solet, ut nil fere tonum restituere videatur. Haud superfluum igitur erit hoc loco methodum Haenii \*) inducere, qua una cum diaeta legitima saepissime bene illi successit. Externe regioni ventriculi emplastrum sequens applicavit.

R. Empl. de Labd. vel diabol. ℥i℥  
 Camphorae  
 Opii crudi à gr. X — XV — XX.  
 Balsam. peruv. qf.  
 M. D.

Si decidit denuo illinatur; si pustulae cutaneae oriuntur, cutis sapone lacteque lavetur. Tunc omni bihorio vel trihorio duò cochlearia sequentis mixturae fumantur.

R. Lapid. caner. ℥℥  
 ∘∘ Stillaticii menthae c. sach. ℥iij  
 in Elaeosach. reducti gtt. X.  
 Ω Menthae ℥j  
 Laud. Liquidi S. ℥℥  
 Syrupi Menthae ℥j  
 ∇ Menthae ℥viiij  
 M. D.

In nimis vehementi acido simul pillulas e sapone, gummi ammoniaco massaque pillularum Rufii dedit. In debilitate vero spasmissque vehementibus electuarium sequens praefcripsit.

B 2

R.

\*) Anton de Haen Heilungs-Methode in dem Kaiserl. Krankenhause zu Wien. Aus dem Lateinischen von Ernst Platner, 2. B., 6. Th. 1. Cap. p. 8.

R. Cort. peruv. ℥iij.  
 Camphorae  
 Myrrhae à ʒiʒ  
 Syr. diac. et menthae à ʒiiʒ  
 M. D. S. Sexies quotidie nucis mo-  
 schatae magnitudinem.

Variae autem cardialgiae singularem medendi methodum postulant; species maxime consuetas igitur, inter sequentes classes singulas explicabo.

## S E C T I O VII.

### METHODVS MEDENDI SPECIALIS.

§. 21. A.) *Cardialgia a variis cruditatibus primarum viarum orta.*

- 1.) *Acida acrimonia.* Qui multis vegetabilibus, fruuntur ad acidum dispositi sunt, attamen copiose tantum assumta nocuum reddunt effectum, qui frequenti pyrosi, ructibus acidis, nausea, vomitu, inopia sitis, appetitu praeternaturaliter aucto sensuque ardente in regione ventriculi se prodit. Interna oris superficies plerumque est pallidi coloris. Insuper debilitas quaedam corporis simul adest, unde tandem consumptio corporis oritur. Infantes praecipue huic acori obnoxii sunt.
- 2.) *Saburra viscida et pituitosa.* Lingua est semper lardacea, urina pallida, excrementa mucosa intermixta vel indurata sunt. Multi flatus haud foetidi secedunt. Cibis sumtis ventriculus expanditur una cum pulsu debili facieque pallida.
- 3.) *Materia putrida ac biliosa,* vel a collectione bilis in ventriculo ac duodeno, ut in animi pa-

pathematibus vehementibus vel ibi corruptis alimentis orta. Pulsus plerumque est febrilis. Facies ruboris praeternaturalis, urina atrorubra cum sedimento lateritio, nullus appetitus, nausea vero, vomituritio, vomitus aeruginosus magnaue sitis. Dolores capitis, vertigo, sapor putridus, lingua muco flavo obducta, foeces putridae ac foetidae, unde colicae frequentes, diarrhoeae, consumptio corporis tandemque affectus hypochondriaci et melancholici oriuntur.

- 4.) *Vermes* sensu motus reptatusque in abdomine, doloribus colicis frequentibus circa umbilicum, dolore ventriculi per intervalla rodente, nausea, vomitu ipso, interdum diarrhoea mucosa se produunt. Nonnulli vermes famem insatiabilem produunt. Porro adsunt frequens salivae confluxus in ore; imprimis ieiuno ventriculo, haecce cardialgia torquet, post assumptum cibum sopitur, si vermibus haud contrarius. Magnum tensumque abdomen, corpore ceteroquin macilento, sitis vehemens, facies pallida habitusque cachecticus, splendor oculorum amissus, pupilla dilatata, annulus caeruleus circa oculos, oculi semiclausi in somno, stridor dentium, pruritus narium, convulsiones, urina alba et lactea, palpitatio cordis, syncope, symptomata epileptica. Uno verbo symptomata peruaria sunt: signum pathognomonicum vero est, si beneficio naturae vel supra vel infra eiciuntur vermes. Sic narrat H. Saxonia, \*) se ad puerum vermibus refertum, undecim annorum cui pillulas exhibebat, vocatum esse. Mane cum re-
- ver-

\*) Praelect. pract. p. 2. Cap. 7. §. 4.

verteretur puer iam mortuus erat. Curavit vero aperiri ventriculum et triginta tres vermes invenit, omnes dodantrales, omnes vivos, ori ventriculi adeo tenaciter adhaerentes, ut vix avelli possent.

5.) Calculi ventriculi pertinacia sua se produnt, porro sensu ponderis ac pressionis in scrobiculo cordis, nausea ac vomitu. Exemplum horum calculorum notatu dignum I. Bilguerius apud G. Horstium \*) narrat: religiosum ad septem annos per intervalla varie aegrotantem, saepissime de dolore ad cartilaginem eniformem quaestum fuisse, ac si telum ibi infixum esset. In cadaveris sectione, in stomacho calculi variae molis, substantiae fundoque illius pertinacissime adhaerentes, reperti sunt. Tale exemplum quoque D. Dietrich in dissertatione sua narrat \*\*).

#### Curatio.

Cruditates evacuandae sunt: 1.) Si naturae acidae corrigendae et evacuandae sunt; nova autem procreatio praecavenda est. Quae perficiuntur a) per *absorbentia terrea*, lapides cancrorum, conchas praeparatas etc. Cum clarissimus Tralles \*\*\*) ea suspecta redderet, ad hanc suspicionem evitandam, lenia laxantia iis

\*) Epist. et Conf. med. Lib. I. Sect. II. Epit. II.

\*\*) Dissert. inauguralis medica continens duas observationes rariores circa calculos in corpore humano inventos, Halae 1788.

\*\*\*) Tralles B. L. Virium, quae terreis remediis gratis hactenus adscriptae sunt, examen rigorosius, Wratisl. et Lips. 1740. 4.



iis coniunguntur; vel magnesia alba, datur, quae utrique indicationi respondet, acidum enim resorbet, et alvo leniter expellit. Citius meliusque agunt, sal tartari, oleum tartari per deliquium, sal absynthii. b) Amara, fermentationem acidam impediunt debilitatemque primarum viarum corrigunt. Succi inquilini saepe nimis pauci sunt, ubi lenia damus stimulantia, bilis deficiens contra fel taurinum et amara poscit. d) *Emetica* et laxantia ubi magna copia acida evacuantur. e) Omnes cibi ad acidum disponentes, ut lac, brassica, fructus horaei etc. evitandi diaetaque animalis potius servanda est ut, caro ferina, panis triticeus cum cerevisia humulo bene condita. *Spiritus vitrioli saepe optimum est remedium.*

2.) Si *mucosae* sint, resolvendae prius tunc evacuandae sunt, vel per laxantia, ut pillulae balsamicae Becheri, extractum panchymagogum Crollii, ialappa, vel per emetica, ubi mucus viscidus adest. Antimonialia principem tenent locum, ob vim simul resolventem. Ad resolutionem apta sunt saponacea, salia media, sal ammoniacum, sal culinare, extracta amara, oxymel squillae, radix iridis, ari, pimpinellae, quoniam resolventia debilitantia haud satis agunt. Ubi laxitas ventriculi simul adest alba et nigra piperis grana adhibenda sunt, haleces bene saliti, cepae, armoracia, eiusmodi aegris profunt; minime vero cibi farinacei, fructus solani tuberosi etc. Frictiones abdominis commendandae sunt.

3) *Acrimonia biliosa*, salibus incidenda, emeticis et laxantibus antiphlogisticis, ut pulpa ta-

ma-

marindorum, cremore tartari, fero lactis acido removenda est. Omnia pingua animalia, et ova etc. plane evitanda, acida contra adhibenda sunt. Denique roborantia, tonum ventriculi amissum, reddere debent, quam indicationem elixirium acidum Halleri vel Mynsichti implet. Obstructionibus viscerum abdominalium praesentibus, ad remedia leniter roborantia nobis fugiendum est, ut, amara, fel tauri, calomel, assa foetida, liquor terrae fol. tartari, extr. chaerefol. taraxaci, gram. etc. Hilaritas animi, equitatio, tandem aquae medicatae bene adhibendae sunt. Quibus sublatis viscera sunt roboranda. a) Diaeta frigida ac inopia alimentorum debilitantium. b) Motu corporis frequenti. Denique roborantia imprimis amara et adstringentia adhibenda sunt; posteriora ut acida mineralia et mars, praecipue ubi laxitas adest. Nec balnea contemnenda sunt. Omnes vero causae occasionales diligenter evitandae sunt, potus tepidus, vina acida ac spirituosa cibi relaxantes et emollientes, affectus animi tristes, vita sedentaria etc. ut nova bilis praeratio praecaveatur.

- 4.) *Vermes*, symptomatibus urgentibus sublatis, removendi sunt. Si dolores, vehementes, cum vomitu, colicis variisque symptomatibus nervosis, epilepsia, chorea Snt. Viti etc. coniuncti sunt, necesse est, ut aeger multum lactis assumat, clysmata lactea accipiat taliaque cataplasmata cum mica panis ventriculo applicentur. Emeticum vel sex usque octo guttulae olei petrae externae inunctae, vel interne extractum absynthii, dolorem fixum mox diminuant. Doloribus quodammodo diminutis cu-

ra

ra radicalis instituenda est, removendo vermes, quod purgando ac roborando primas vias imprimis fit. *Sale* mercuriali et *Ialappa* laxatur; deinde adstringentia et roborantia dantur. Anthelmintica sic dicta raro, non nisi tractum intestinorum roborando motumque peristalticum augendo in vermes agunt. Contra taeniam hucusque nullum specificum repertum est. Clarissimus Selle affirmat, omnia remedia esse vana, nisi purgantia drastica quid efficiant; quibus remedii Nufferi vis quoque debeatur. Si laudatae virtutes remedii primum a Goezzio commendati, tunc a Scherfio \*) etiam probati se confirmarent, purgantibus drasticis anteponendum esset. Ego vero sine fructu adhibui. Constat e tribus partibus olei essentialis the-rebinthinae, unaque parte, olei cornu cervi empyreumatici, quod semel adhuc destillatur, per quatuor dies autem digerendum est. Gut-tulae nonaginta cum infuso foliorum nucis iuglandium, pro dosi dantur.

- 5.) Cibi in forma globulorum compacti, sunt per emetica vel laxantia leniora eliminandi; ubi vero parietibus ventriculi ut in casu supra narrato, pertinacissime adhaerent, magna spes restitutionis haud adest.

§. 22. B.) *A*, debilitate et flatibus ventriculi prior duplices causas agnoscit, quae vel in ventriculum ipsum agunt, vel aliis partibus totive corpori, debilitando ventriculum, tonum destruunt. *Ad primam classem* pertinent: 1.) *Omnia alimenta, medicamentaque narcotica et debilitantia*, nimius coffeae  
the-

\*) Scherfs Archiv zur gerichtlichen Arzneikunde.

theaeque usus, fumi herbae nicotianae abusus. Quaecunque spirituosa et narcotica ut opium, irritabilitatem fibrarum ventriculi tollunt. Nimia salivae excretio, inopia bilis etc. 2.) *Nimia ventriculi impletio*, cui si permagna est, constrictio pylori spasmodica, exitum alimentorum impediens, se adiungit. \*) Prandium praegressum flatus frequentes et ructus diagnofin praebent. Aetate iam proVectis, mortem apoplecticam saepe producere valet. 3.) *Vomitus creber* vel spontaneus vel artificialis. *Ad secundam classem* vero 1.) *Vita sedentoria*. 2) *Pathemata animi vehementiora*, imprimis *tristitia*. 3.) *Studium assiduum* in rebus abstractis, *imaginatio* vivida. 4) *Excessus in venere*, quantum hi ad ventriculum valeant, digestio onanitarum vitiosa satis superque docet. In *cardialgia flatulenta* adfunt ructus frequentiores nidorosi et acidi, nausea, conatus ad vomitum, quin ipse vomitus, qui acrem penetrantem spargunt odorem. In gradu maiori tumor \*\*) ovi gallinacei seu anserini instar, in regione pylori, nec non brevis respiratio. Originem ducit ab alimentis aëriiferis, cerevisia in actu fermentationis suppressa, (Lustbier) uvis nimia copia assumtis, musto etc. Ventriculus valde expansus dolet ac pylorus constringitur; huc pertinet passio cardiaca sic dicta (*Herzgespann*) infantum lactantium, saepe cum vomitu, saepe etiam cum febre ac convulsionibus coniuncta \*\*\*) a lacte in ventriculo coagulato et aciesente,

Cu-

\*) Stoll's Praelectiones in diversos morbos chronicos, p. 136.

\*\*) Hoffm. Syst. T. 4. P. 2. pag. 225.

\*\*\*) Cullens Anfangsgründe in der practischen Arzneiwissenschaft, B. 3. 1789. p. 179.

*Cura* in removendis caussis tuncque restituendo consistit, quod diaeta bene digerenda, amaris, cortice peruviano, limatura martis, balneo frigido, frictione abdominis et epigastrii imprimis ieiuno ventriculo et equitatione, qua enim nil aptius est ad viscera abdominis roboranda, producitur. Nimiam ventriculi impletionem natura plerumque larga diarrhoea vel vomitu spontaneo altero die tollit; nisi hoc fiat, arte efficitur. Apoplexia symptomatice saepe simul adest; necesse igitur est, ut venaesetione instituta, mox emeticum detur; ad quod, ob celem effectum vitriolum album se commendat.

Si aeger facultate deglutendi caret, solutio tartari emetici venae cuidam iniectione, interdum bonum edidit effectum. Flatus bene discutit doloresque sopit, infusum florum chamomillae et millefolii, addito parum cort. aurant. et sem. foeniculi. Si dolores sunt vehementiores, liquor anodyuus mineralis Hoffmanni, laudanum liquidum Sydenhami in usum vocari possunt. Sub finem morbi tonus, amaris et martialibus restituitur, optimum hocce remedium vero in cortice invenitur. Salia alcalina non aërata, quae acidum aëreum bene resorbent, duce Leonhardi, bono cum successu hic adhibita sunt; exempli causa, magnesia non calcinata etc.

§. 23. C) *Venena corrosiva* maxime huc pertinent; quorum

- 1.) locum arsenicum certe meretur; cuius devastantes effectus nunquam sine horrore cogitari possunt. Aeger subito viribus privatur, dolores abtusi ventriculum visceraque abdominalia, cum vomitu horrendo, anxietate

tateque corripunt. Abdomen plerumque spasmodice se contrahit, pulsus semper est durus, celer, parvus ac inaequalis. Tunc vehementes excretiones alvinae oriuntur, imprimis ab arsenico fluido, quod in uno eodemque loco haud diu moratur; aeger mentis haud compos est, syncopes, tensiones abdominis accedunt, paucisque saepe horis moritur. Robusti homines a parva sicci arsenici copia interdum evadunt; attamen tremores artuum, consumptio corporis et atrophia morte se finiens saepe remanent. Medicum igitur oportet; qui aegrum interroget; quamdiu venenum iam in corpore haereat? quantum? utrum arsenicum siccum anfluidum fuerit? Si quaecunque venenationis factae dubia sublata sunt, primum est medici, ut duce clarissimo Hahnemanno \*) emetico convenienti maximam veneni partem e corpore eliminare studeat. Residuum vero solvatur ac neutralisetur necesse est, ut quantum fieri possit, acidum minerale innocuum reddatur, donec e corpore eliminari possit. Aqua saponata cum oleo, aquae aëre hepatico praegnaus cum flore lactis, hic, teste Hahnemanno praecipue se commendant. Interna primarum viarum membrana, integumento mucoso contra veneni irritamentum per remedia supra narrata ac flore lactis defendenda est. Excretio alvina promoveri, inflammatioque vel partialis vel universalis praecaveri debet. Si symptomata quaedam adhuc remanent, denuo aqua, aëre hepatico praegnante talibusque balneis tepidis utimur, ut residuum in secundis

\*) Ueber die Arsenickvergiftung, ihre Hülfen und gerichtliche Ausmittelung, von D. Hahnemann, Leipzig 1786.

dis viis adhuc persistens destruat, quibus ad solida emollienda, diaeta lactea adiungi potest. Quibus factis sensim sensimque ad roborantia transgredi iuribusque carnis, aëre recenti, aqua minerali tandemque vino generoso et balneis chalybeatis frigidis uti possumus. Symptomata paralytica et spastica saepe remanentia, antispasmodicis et roborantibus, vi electrica cataclysmis, balneisque calidis; diarrhoea et lenteria si remanent, diaeta tenui internisque remediis tonicis tolluntur.

2.) Haud minus periculosus est mercurius sublimatus corrosivus, qui e mercurio vivo et acido salis consistit. Hocce venenum fortissimum, tristissimos quoque effectus in corpore humano producere valet, eoque se prodit ut, arsenico celerius agat, doloresque vehementiores efficiat; subito enim gangraena existit; quam brevi tempore mors sequitur. Quid auxilium horum venenorum attinet, iam in eo est; ut aqua alcalisata; imprimis vero hepate sulphuris mercurius sublimatus corrosivus destruat, eiusque tristes effectus praecaveantur; nisi haec remedia sero adhibita sint. Duplex affinitas existit, sulphur se coniungit cum mercurio; pars vero alcalina cum acido minerali. Cavendum est, ne, priusquam medicamenta fortiora adhiberi possint, oleosa ac pingua copiose sumantur, quae, etsi aliquantulum dolores leniant; medicamentorum effectus coërcent. Optime igitur est initio, aqua diligenter saepeque assumta. Simul quoque attendendum est, an inflammatio adsit, in quo casu

casu ad antiphlogistica, attenuantia, mucilaginoso et oleoso fugiendum est; nec balnea, fofus et cataplasmata male adhibita sunt. Quo facto, eccoproticis, manna, cassia etc. residua removenda sunt.

3.) *Aerugo* corpori humano aequè obest; cardialgias enim gravissimas, vomitus vehementes, colicas, nervosaeque symptomata pertinacia cuiuscunque generis producere valet. Tali modo plures, quam putamus, veneno afficiuntur, ob frequentem usum vasorum cupreorum, pro cibis, acidum, cuprum solvens, continentibus. Clarissimus Navier \*) duo exempla notatu dignissima narrat. In monasterio undecim homines, aegrotantes cardialgiis gravissimis summaque nausea afficiebantur, quoniam a placentis, in trulla, in qua axungia refrigerabat, coctis ederant; trulla enim aerugine adhuc tecta, reperiabatur; attamen vel maturius vel tardius restituti sunt; prout plus vel minus acceperant. Eodem modo, quatuor ab hinc annis, quadraginta ad quinquaginta milites cohortis regiae Verfaliae, phaseolis assumtis, omnes, ad unum male se habuerunt. Inquisitione facta, constitit, phaseolos in vasis cupreis stanno haud obductis, decoctos fuisse, indeque morbum pendisse. Alii mortui, alii, per longum tempus molestis affecti sunt. Haecce symptomata tristia nos impellunt, ut remedia, effectus aeruginis vastantes, destruentia, inquiramus. Emeticum subito datum magnam veneni copiam

\*) Navier Gegenstoffe des Arsenicks und ätzenden Sublimats, I. B. Greifswalde 1782. Aus dem Franz. übersetzt von D. Weigel, p. 167.



piam removeere valet; post vomitum vero, aegrotis magna aquae frigidae copia assumenda est, quam ob stimulum ab aeruginis remanente portione, aegri denuo revomunt. Alkali volatile celerrime solvit aeruginem, cui si deficit, sal amoniacum in aqua solutum cum alcali fixo substituitur; quo facto *hepate calcis* ad mentem clarissimi Navier uti possumus. Si aerugo iamdudum in corpore humano fuerit; antequam medicus vocatur, solutio hepatis calcis mox diligenter sumenda est. Dolores spasmi que vehementes simul methodum antiphlogisticam postulant. Praecipuis symptomatibus sublatis, primae viae eccoproticis purgandae sunt; tunc per longum tempus etiam diaeta lactea adhibenda est. Tremores artuum saepe remanent, in quos teste clarissimo Navier balnea sulphurea bonos edunt effectus. \*)

- 4.) *Plumbum* quidem ad venena corrosiva haud referendum est; attamen ob dolores ventriculi viscerumque tam vehementes, quos vel in forma pulveris metallici, vel solutionis producit, huc pertinet eiusque antidota diligenter perscrutanda sunt. Hicce morbus, si tractus intestinorum imprimis afficitur, etiam vocatur, colica figulorum, pictonum vel melius colica saturnina, quoniam figuli, ac universim artifices plumbarii ea saepe afficiuntur. Humores acres et acidi in ventriculo inveniuntur; qui plumbum partim solvunt, partim parietibus ventriculi ac intestinorum magis adhaerens reddunt. In ventriculo solutum, pars quaedam  
eius

\*) Navier, p. 193. §. 3.

eius se praecipitat, quae tunicae villosae ventriculi adhaerens, continuum stimulum producit; unde spasmi, doloresque abdominis cum pulsu parvo coniuncti, nascuntur. Praecipue differt ab aliis morbis colicis, abdomine semper constricto ac plano. Purgantia fortiora saepe cum bono successu adhibita sunt, quibus particulae plumbeae commotae removentur; attamen in debili corporis constitutione plane contraindicatae sunt; nisi symptomata etiam peiora causare velimus. Clarissimus Navier igitur cum hepate sulphuris simul remedium nobis donavit, quod in omni casu principem tenet locum; solutionem plumbi enim destruit ac innocuam reddit. Si plumbum in forma pulveris in ventriculo haereat, antea acida id solventia, sunt adhibenda, ut hepar sulphuris eo melius agere possit. Particulae plumbeae plane praecipitatae, intimeque cum sulphure coniunctae, eccoproticis et clysmatibus oleosis removendae sunt. Ubi vero particulae plumbeae ventriculo se annectunt; purgantia drasticâ, teste clarissimo D. Dubois, summa cum utilitate adhibenda sunt. \*) Iuvant experientia duce etiam prae aliis oleosa, pingua, oleum Ricini etc.

- 5.) *Emetica fortiora purgantiaque drasticâ, in agyrtae manu, tristissima symptomata producentia, caute adhibenda sunt; privando enim ventriculum tractumque intestinorum mucu naturali, nervos adeo sensiles reddunt, ut cibi cuiuscunque generis, etiam blandissimi, irritationem, dolores ventriculi vehementes colicas*

\*) *Dissertatio inauguralis an colicis fuliginis venaelectio? Paris 1751.*

cas diarrhoeasque pertinaces producant. Licet glandulae mucosae frequenter fecernant; mucus tamen subito motu peristaltico aucto educitur. Alia quoque mala, respectu oeconomiae animalis, imprimis digestionem turbatam producant. Plures casus ipse vidi; sic quoque clarissimus Tissot narrat \*) foeminam tenerae aetatis bonaeque valetudinis subitaneo terrore morbum sibi conciliaffe, quoniam vir imprudens intra paucos dies, novem emetica illi dederat; quo factum est, ut eius nervi adeo sensiles fierent, ut quaecunque impressio etiam lenissima spasmos illi produceret. Si nimis magnam ciborum copiam assumebat, subito cardialgia diu durante ac per totam eius vitae reliquam partem persistente, donec viribus plane exhausta fuerit, corripiebatur. D. Lorry \*\*) illustrissimus vir, in opere suo praeclearo de melancholia casum maxime horrendum narrat. Vidi ait, in litterato viro, ab unico purgante, a pharmacopola ob malam digestionem accepto, gravem hypochondriam nervosam ortam esse. Affecerunt eum dolores ventriculi tractusque intestinorum vehementes, vomitus ac profluvium alvi cum tantis doloribus coniunctum, ut tota machina destructa videretur. Abdomen erat contractum, hypochondria tumida, aegerque memoria imaginationeque amissis stupidus mansit. — In continuo perseverabat lethargo; evigilatus autem cum clamore horrendo in furorem incidit.

\*) Tissots sämtliche zur Arzneikunde gehörige Schriften, Th. 4. Cap. 8. S. 80.

\*\*) Lorry de melancholia et morbis melancholicis, T. I. p. 122.



dit. Oculi eius erant concavi, ac cutis offibus inhaerebat. Tali modo per duos annos in miserrimo statu vixit; quorum spatium, spatium gravissimis confectis debebat.

*Curatio.* Potione Riveriana, acidis vegetabilibus quin immo opio ac moscho, emesis sedanda est; tunc remediis oleosis ac demulcentibus mucus ventriculi substituendus, ac emeticum enervandum est. Purgantia drastica, citissime emetico evacuanda sunt, nisi haud amplius fieri possit, lacte, lichene islandico, radice salep gummatibus, mucilaginosi oleosis, emulsione amygdalarum, aqua mellissae, pinguibus carnis iuribus, enervanda ac involvenda sunt. Si vero spasmi etiam adsunt ad opiata confugiendum est. Semper vero ad singula specifica quoque respiciendum est, resina Jalappae exempli causa spiritu vini asumpto innocua redditur.

6.) *Venena mechanica* ut, acus ferrea, cuprea, crystallus montana, limatura aëris, vitrum contusum etc. nervos irritando, parietes ventriculi vulnerando doloresque et haemorrhagias producendo agunt, unde ulcera aliaque mala innumera. Frequens usus solidorum crassorum, solanorum exempli causa, butyri et olei, quibus acumina obtunduntur, hic praecipue se commendavit. Acetum quoque teste Boerhavijs in metallis prodest. Emetica vero nocuum ederent effectum.

§. 24. D.) *Serum acre retentum* etiam hoc malum producere valet; in febribus exanthematicis

cis enim, ut in peste, petechiis, miliari, morbillis erysipelate etc. cardialgia, materiis hisce exanthematicis ad ventriculum depositis plerumque letale symptoma erit. Acrimonia igitur subito ad cutem iterum determinanda est, interne per diaphoretica, ut camphora, spiritus vini camphoratus  $\Omega$  Mindereri, sal volatile CC, liquor CC succinatus, etc. Externe vero frictionibus, fomentationibus et vesicatoriis. In dysenteria et diarrhoea, ubi acris materia ventriculum iam petit, vomitu, potione Riveriana vel moscho antea sedato; per clysmata oleosa ac emollientia, materia rursus ad tractum intestinorum determinanda et evacuanda est. Materia rheumatica, arthritica, herpetica, scabiosa, ulcera cutanea, si hi morbi retropellentibus, adstringentibus, pinguibus tractentur, graves frequenter generant cardialgias. Priores praecipue e doloribus artuum subito cessantibus, sensuque ventriculi frigido dignoscuntur. Doctissimus Stoll, dolorem obtusum semper adeste, affirmat.\*) Haec species est pertinacissima, saepe per multos annos durat, impetusque semper redit, donec mors malum tollit; vel enim materia podagrica ob artus iam rigidos topisque obsessos haud amplius deponi potest vel vis vitalis haud sufficit ad acrimoniam ad cutem determinandam, vel denique balneo frigido vel pinguibus retropellitur. In priori casu parum spei adest; vires autem languescentes sustentandae sunt. Hicce morbus enim non cedit, nisi materia retroacta iterum ad partes ignobiliores alliciatur, quem ad finem pediluvia, vesicatoria, epispastica, frictiones, et blanda diaphoretica simulque tonica conferunt.

C 2

ferunt.

\*) Maximil. Stoll praelect. in diversos morbos chronicos post eius obitum edidit et praefatus est Eyerel. Vol. II, Vindobonae 1789. p. 150.



ferunt. Cullen\*) tali aegroto suadet, ut remedia cum aromaticis mixta sumat. Nisi haec sat fortia sint, spiritu vini, naphtha vitrioli, essentia succini Gmelini utitur; imprimis vero solutione gummi guaiaci in taffia, quae teste multorum medicorum Parisiensium praeclarum edit effectum.\*\*) Oleum caia-put mihi etiam in quodam casu utilitatem attulit. Materia arthritica remota, vel ad articulationes deposita, ventriculus roborandus novaque depositio praecavenda est, quod martialia praestant. A limatura martis ipse bonum vidi effectum. Materia herpetica et scabiosa internis diaphoreticis externisque frictionibus, balneis tepidis, vesicatoriis, fetaceis ac fonticulis denuo ad cutem determinandae, vel lenibus laxantibus ac emeticis acrimonia removenda, demulcentibus vero humores corrigendi sunt. Cardialgia variolosorum vel ante eruptionem adest; ubi plerumque tantum miasmati varioloso ibi depositio attribuenda, una cum eruptione evanescit, vel post eam, si est materies aliena, emetico removenda.

§. 25. E.) *A plethora vasorum ventriculi eorumque infarctu.* Gravidae singulari cardialgia vexantur, quae variis temporibus varias quoque agnoscit causas. In primis hebdomatibus vel mensibus, post conceptionem factam, nausea, vomitiones, vomitus, quin immo cardialgiae oriuntur, quae omnia a mutatione corporis facta irritatoque systemate nervorum dependent sensimque sua sponte cessant. Si medico autem quid faciendum est, antispas-

\*) William Cullens Anfangsgründe der practischen Arzneikunst, 1ster Band, 2te Ausgabe, Leipzig, 1789.

\*\*) Sammlung auserlesener Abhandlungen für practische Aerzte, 3ter Band, S. 595.

tispasmodica, spiritus minerales dulcificati, spiritus nitri dulcis, liquor anodynus mineralis Hoffmanni, huic scopo bene respondebunt. *Mense quarto*, imprimis in plethoricis, bene laeteque viventibus, exercitio corporis neglecto, cardialgiae maioris momenti existunt. Menstrua enim retenta nec plane a nutritione foetus consumpta, vasa uteri implent, versus superiora urgent vasaque ventriculi expandunt, unde ille ponderis sensus. Venaesectio in brachio instituta, diminuendo humores, subito malum sanabit; \*) qua vero neglecta abortus aliave mala oriuntur. Nitrosa, attenuantia, tenuis diaeta adhibeantur et ab omnibus cibis aromaticis potulentisque spirituosiss abstinence necesse est. Omnia enim antihysterica hic damnum procrearent. Si vero placenta se in nonnullis locis iam separaverit, quod sanguine ex utero manante dignoscitur, summa tranquillitas et animi et corporis adhibenda est, ut puncta separata denuo adglutirentur. In *ultimis mensibus* vel *hebdomatibus* tandem, uterus eo magis expansus, ventriculum tractumque intestinorum comprimendo, digestionem impedit pluresque fordes quam in statu naturali accumulatur, unde cardialgiae doloresque colici, quibus vero reforptis febres puerperarum, originem ducunt. Tractus igitur intestinorum clysmatibus vel eccoproticis purgandus, diaetaque strenua semperque aperiens adhibenda est. Non gravidae etiam ab emanentibus vel suppressis mensstruis sexusque potior ab haemorrhoidibus vel aliis excretionibus sanguinis consuetis suppressis, cardialgia afficiuntur. Menses ac haemorrhoides igitur eo restituendae sunt, ut balnea tepida, vapores genitalibus intestinoque

recto

\*) Tissot avis au peuple sur la santé, T. II. §. 364. Lausanne 1764.

recto illati, hirudines labiis vulvae orificioque ani applicatae adhibeantur. Venaesectionibus in pede institutis, interne magnesia nitri, lenibus salibus mediis, nitrosis, congestiones deorsum procreantur. Si haecce remedia in homine robusto, cui nulla est dispositio ad inflammationes pectoris, nil efficiunt, nec aliae caussae hoc contraindicant, uno vel altero grano extracti aloes uti possumus, eodem tempore, ubi molimina menstrua intrare solent. Uno verbo, quaecunque ventriculi vasa debilitant, ut, nimius theae coffeaeque usus, ibi maiori sanguinis congestione, cardialgiam producere possunt. Curatio est eadem; attamen recidiva roborantibus praecavenda sunt,

§. 26. F.) *Ab inflammatione ventriculi seu gastritide*; ubi cardialgia est symptoma inflammationeque sublata ipsa cessat. Dolore in regione ventriculi, omni motu, respiratione, pressione ac deglutitis cibus potibusque vehementer aucto, magna anxietate, vomitu continuo, pulsu duro sed parvo, extremitatibus frigidis, singultu dolorifico summaque virium prostratione se prodit. Originem ducit ab acerbis in ventriculum delatis, venenis, potu frigido aestuante corpore assumpto, a violentiis externis, inflammationibus aliarum partium, ab ira emeticis tractata etc. \*) Hocce malum discussione, suppuratione et gangraena finitur. Prior e causa minus vehementi, symptomatibus minutis, immo fugatis, post remedia applicata dignoscitur. Suppuratio vero e symptomatibus persistentibus, doloribus quidem valde diminutis; remanent-

\*) *Dissertatio de medicina emetico et purgante post iram, veneno in operibus Hoffm. omnibus, Fol. T. VI. p. 29. Zissis Abhandl. von den Nervenkrankheiten, S. 66c. §. 107.*



nente autem ponderis anxietatisque sensu, quibus horrores, sudores nocturni aliaque febris hecticae signa se adiungunt; ubi nisi abscessus in ventriculo aperiatur, vel pus resorbeatur, aeger plerumque moritur. Gangraena ibi praecipue metuenda est; ubi post remedia assumpta, symptomata haud leniuntur, quae subitanea dolorum absentia ac prostratione virium se prodit. Inflammatio venae sectionibus largiter institutis ac repetitis discutienda est; pulsu parvo insuper neglecto, qui ea plenior redditur, tunc hirudines et vesicatoria, regioni epigastricae applicanda sunt, una cum clysmatibus emollientibus. Saepissime vero irritabilitas ventriculi magna, omnia fere remedia interna vetat, quae tunc modo per clysmata adhibenda sunt. *Bosquillon* eo in casu emulsiões laudat. In gastritide a metastasi, materiam nocuam per alvum ac diaphoresin eliminare studemus. Ubi irritamentum adhuc in ventriculo haeret, vomitus mucilaginosus alitur; venena vero quae eliminari non possunt, antidotis sunt destruenda. Materia nocua iam eliminata, vomitus adhuc praesens potione Riveriana supprimitur. Opium \*) interne adhibitum inflammationem auget, melius est externe cum camphora; interne vero aqua tepida cum oleosis et liquor anodynus ad spasmos leniendos. Ubi gangraena iam adest, quodcunque fere auxilium medici vanum erit.

§. 27. G.) *Ventriculus nimis irritabilis*, impressiones aliter lenissimas, haud suffert. Iam Galenus \*\*) cardialgiae continuae mentionem facit, in aegro-

\*) Selle Medicina clinica, Wien 1788. p. 74.

\*\*) Galen. de Sanitate tuenda, Lib. VI. Cap. X.

aegrota quadam, quam nimiae nervorum sensibilitati attribuit. Saepe est haereditaria vel congenita sed acquisita etiam esse poterit ab alimentis debilitantibus et irritantibus, nimis excretionibus ut a venere nimia ac immatura, venaesetionibus nimis. Porro a morbis praegressis, spirituosis sumtis, pathematibus animi nimis, suppuratione, ulceribus scirrhisque ventriculi etc. Hypochondriaci ac hystericae ad hocce malum praecipue proclives sunt. Clarissimus Tissot \*) multas vidit hystericas, quas petroselinum veneni in modum afficiebat. Viridet \*\*) iura a cancris contusis effectus vehementes producere vidit. Pome vero monacham post nimium coffeae usum subito in gravissimam cardialgiam cum spasticis animi deliquiis coniunctam incidisse affirmat. Hippocrates \*\*\*) etiam iam dicit, menses et nimis parcas causam esse morborum. Cura primum in eo consistit, ut praesens vomitus usu aquae frigidae, acidulatae, anodynis, clysmatibus initio revellentibus, tunc vero cum opio mixtis, summa quiete, potione Riveriana vel moscho sistatur, Externe unguentum ex unguento altheae et laudano liquido Sydenhami, spiritus vini camphoratus inungi possunt. Oleum caiaput in cardialgia a sola irritabilitate bonos quoque effectus edit; quod ipse vidi. Nuperrime etiam a *Carminati* magisterium Bismuthi commendatum est, quod in omnibus morbis a nimia sensibilitate ortis bono cum successu adhibuit, attamen flores Zinci eundem edere effectum, puto. In uno tantum casu, ubi magisteri

Bis-

\*) Tissot von den Nervenkrankheiten, T. 4. Cap. 8. Art. 3.

\*\*) Dissertation sur les vapeurs, Yverdon 1726. 12. p. 179.

\*\*\*) Hippocr. Aphor. §. 57.

Bismuthi usus sum, huic scopo respondere videbatur. Roborantia deinde, ut decoctum quassiae, corticis peruviani, cascarillae, extractum cardui benedicti etc. curam absolvunt.

§. 28. H.) *Animi pathemata* multum valent in corpus humanum; digestionem enim turbant; imprimis ira. Quam saepe accidit, ut ab ira vehementi premens ac constringens dolor, cum anxietatibus, oppressione pectoris, nausea, fastidio ciborum, sapore amaro, quin immo vomitu coniunctus, originem ducat. Bilis copiosius in duodenum effluit; quae domicilio longiore fit corrosiva, unde igitur diarrhoea et cardialgiae oriuntur. \*) Plerumque iam a natura vomitu spontaneo ac diarrhoea absolvitur; e contra vomitus arte excitandus est. Tali modo terror vehemens cardialgiam quoque producere valet. Illustri *Merlin* \*\*) narrat, foeminam quandam a terrore inopinato, quem patris mors induxit, dolore ventriculi vivido correptam fuisse, qui per octo dies sine febre duraverit; deinde vero materiae foetidae secessu resstitutam esse. Simile fere exemplum apud *Bartholinum* \*\*\*) reperitur, ubi viator a nimia tristitia dolores in scrobiculo sensit. Haecce cardialgia aequae ad biliosas refertur, quarum antea iam mentio facta est.

§. 29.

\*) Fernelius liber 4. de febris, Cap. 10.

\*\*\*) Chirurgia theoretico-practica, T. 2. C. 9. p. 36.

\*\*\*\*) Th. Bartholini Epist. med. Cent. II. n. 85. p. 679.

§. 29. I.) *Compresso ventriculi*; hepar enim; pancreas, lien, cor aliaque viscera in vicinitate eius posita, molem naturalem superantia, ventriculum comprimendo, cardialgias producere valent. Imprimis lien saepissime monstruosus reperitur. Clarissimus Viridet \*) exemplum dilatationis aneurismaticae cordis in mercatore vidit, cui ira vehemens oppressionem pectoris causaverat, quam dolor vividus in scrobiculo sic dicto sequutus est, quin in dies auctus, ventriculo aegroto attribuebatur. Medicamenta illi data sunt; malum vero auctum fuit. Die tertio ante mortem hicce medicus peritus ad aegrotum vocatus est, quem pulsus ad veram mali originem, sectione deinde confirmatum duxit, cor enim, bis magnitudinem naturalem superavit totumque cavum thoracis sinistrum sanguine grumoso repletum reperiebatur. Hoc in casu malum difficile tollitur. In hernia ventriculi ipse quoque comprimitur, quae vero mature reponenda, et bene comparato bracherio retinenda est. A cartilagine Xiphoides intropressa, vel a natura, vel strophio angusto, maturo digitis vel cucurbitis coecis retrahenda est. *La Motte* \*\*) duo narrat exempla, alterum a matre sua, alterum a gravida, ubi vomitus continuus doloresque ventriculi ab hacce causa dependebant. Has eo sanavit, ut pectus, supinum usque ad genu flecteret digitisque cartilaginem retraheret. Huncce casum haud raro inveniri, affirmat,

§. 30.

\*) Tissot's Abhandlung von den Nerven und ihren Krankheiten, 2. Band, Seite 397.

\*\*) *La Motte* de re obstetrica, Lib. 4. Cap. 11. Obs. 375.

§. 30. K.) Cardialgiae a vitio quodam ventriculi organico ut in indurationibus scirrhis, cancerosis, excrefcentiis carnosis, callo, a ventriculo officato vel pyloro angustato ortae, nullam admittunt curam, quia causa eius removeri non potest. Cardialgiae pertinaces ac continuae post coenam praecipue vehementes, ubi aeger sensum ponderis in regione ventriculi habet, plerumque talem causam agnoscunt. Si scirrhi in aut circa cardiacam adsint, aegri saepe ob viam nutritionis oclusam, misere fame pereunt. Licet vero in hisce speciebus cura radicalis locum non habeat, diaeta blanda ac tenui tamen leniri possunt.

§. 31. Nunc uno verbo tantum cardialgias e consensu nervorum ortas annotabo, licet enim causa morbi in parte remotiori corporis haereat; ventriculus tamen compatitur. Cardialgia nephritica exempli causa originem ducit a calculis renalibus, qui observationibus clarissimi Hoffmanni, \*) vomitu imprimis ieiuno ventriculo, pruritu urethrae, quin immo glandis, urina arenosa, testibus retractis, stupore cruris unius lateris se produnt. Eundem dolorem in calculis vesicae ac uretherum observamus. Celerrimus Tissot \*\*) aegrum per totum annum doloribus ventriculi vehementissimis, convulsionibus ac vomitu affectum vidit, idque malum calculis cystidis felleae attribuit, quorum quatuor etiam magnitudine nucis moschatae inveniebantur. Inflammationes

\*) Frider. Hoffm. Medicin. rationalis systematicae, Tomus 4. P. 2. Sect. 2. Cap. 6. §. 3. p. 362.

\*\*) Tissot von den Nervenkrankheiten, Th. 5. S. 592.

nes renum vulnera capitis, diaphragmatis, obstructions hepatis etc. idem faciunt. Omnes hae cardialgiae tantum symptomaticae sunt; simulac enim morbus primarius, caussa horum symptomatum sublatus est, se quoque amittunt.

## SECTIO VIII.

### REGIMEN DIAETETICVM.

§. 32. Singulis cardialgiae speciebus earumque curationibus indicatis, pauca adhuc verba ad diaetam pertinentia, ut faciam oportet, Omnia, quae paroxysmos leniunt, adhibenda, quae eos vero augent, ea diligenter evitanda sunt. Imprimis igitur alimenta vitanda sunt, quae ad locum affectum perveniendo, et qualitate, quantitate ac tempore ubi sumuntur, paroxysmos restituere et augere queunt. Vermibus laborantes, ubi paroxysmus matutino tempore intrat, ientaculum multiplicent. Hominibus cum ventriculo a natura angusto; seu cum cartilagine xiphoidea intropressa costisve incurvatis, bene suadendum est, ut minus sed eo saepius edant; magna enim ventriculi impletionem dolores augentur. Neque alimenta etiam qualitate malum augere debent. Ubi exempli gratia acrimonia ventriculum petit; diaeta lactea proderit, qua nervi contra quodcumque irritamentum defensi, sopiantur. Cardialgia biliosa affectis diaeta acida prodest, teste *Thompson.* \*) Cardialgia autem ab acrimonia acida de-


\*) Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauche praktischer Aerzte, 3. B. St. 1. p. 16.

dependente, acida evitent, carnisque iura et cerevisiam humulo bene conditam sibi comparent. Ventriculus nimis irritabilis cibos solidos saepe melius concoquit, eiusque tonus iis quasi restituitur. Alimenta aliis hominibus ob idiosyncrasiam contraria plane evitanda sunt. Sic in libello medico \*) casus narratur, ubi petroselinum dolores veros ac convulsiones caussabat. Motus corporis diligentes, corpus roborant, ideoque hic locum merentur. Quis dubitat adhuc, quin animi pathemata, ut ira, tristitia, terror etc. ad corpus humanum imprimis ventriculum debilitandum, permultum valeant; haec igitur sunt evitanda. Contra vero animi pathemata imprimis laeta, saepe mirum in modum, huiusmodi mala nulla ali remedio cedentia, sustulerunt; quod clarissimus *Tiffot* \*\*) affirmat. Salivam valde digestionem adiuvaré luculenter apparet; saliva igitur frequenter deglutita, teste *Percival*, \*\*\*) symptomata cardialgiae persaepe leniri possunt.

\*) Journal de Medicine, Tom. 23. p. 145.

\*\*) Abhandlung von den Nerven und ihren Krankheiten.

\*\*\*) Medicin. Comment. von Edinburg, 3. Th. 2. St. 2. Abschn. 6. Art. p. 215.







W 78  
PICA





5

DISSERTATIO  
INAVGVRALIS MEDICA  
CARDIALGIAE  
NATVRAM

AC

M E D I C I N A

ILL

I

SVI

CHF

